

Hind

1793

Fehlaz

nicht registriert



21
NVM
**EXSECVTOR TESTAMENTI
IN EODEM HERES EX ASSE**

SCRIPTVS ESSE POSSIT?

DISQVISITIO IVRIS CIVILIS

Q V A

DILECTISSIMO FRATRI

**HIERONYMO THEOPHILO
KINDIO**

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

GRATVLATVR

CAROLVS CHRISTOPHORVS

IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR CVRIAEC PROVINCIALIS

SUPREMAE ET CONSISTORII LIPSIENSIS

ADVOCATVS

LIPSIAE A. D. XVI. CALENDAS MARTIAS

Hi 28/6
CICICCLXXXIII.

EX OFFICINA KLAUBARTHIA.

Herr D. Müller.

CARISSIME THEOPHILE,

Ergone, quum ante biennium summos Venerando Pa-
tri philosophiae honores semisaeculares equidem
pie gratularer, nunc eadem Te bonarum artium laurea
ornatum, Illi filium, mihi fratrem amplector? Sic igi-
tur Nostri vestigia sectatus, strata ad supremum iuris fa-
stigium via, philosophiae elogium cupis, et quam prae-
terito anno in Themidis atrio fecisti de Te spem, nunc
quoque in altaribus Mineruae adauges? Modestiae Tuae
ne molestus sim, reliqua intimo pectore suppressa cohi-

A 2

beo,

beo , neuter enim nostrum blandis delectatur verbis , alii
lectores , ne adulationis nota pungant oratorem , aequa ve-
rendum est . Age igitur , parum otii in conscribendis
hisce ex amore laetitiaque fraterna dicatis Tibi meditatio-
nibus mihi fuisse , bene memor , si rei quid desit , volun-
tatem certe non defuisse iudica fratri rerum Tuarum

Scripti Lipsiae
in musaeo
a. d. ipsas Idus Februarias
CICIOCCCLXXXIII.

Studioſiſſimo
CAROLO CHRISTOPHORO.



§. I.

Si quis forsitan eo nos censendos iudicet, quod quaestione*m* iuris ciuilis nimis speciale*m*, quid quod insolitam inusitatamque, atque collustrata quae decidatur, fere inutile*m*, hac oblata scribendi occasione sumserimus enucleandam, nihil esse tam nouum atque inauditum, ne dicamus legibus contrarium, quod moribundis non interdum vel ex iuris ignorantia, vel ex iudicii debilitate, vel ex pertinacia voluntatis, vel etiam ex alia quacunque causa in vltimis rerum suarum testationibus placuerit hodie*que* placeat, aequo animo respondendum est.


Quemadmodum enim tantum sanctitatis Romani et omnes gentes paulo cultiores attribuerunt vltimis voluntatibus, ut heredum, legatariorum eorumque in genere omnium, quibus inde quomodo*cun*que prospicitur, respectu, legum publicarum conuentionalium siue pactiarum vim obtineant¹⁾; ita etiam hoc testamentorum confirmato legum auctoritate admirabili fauore ne abutantur testatores, easdem leges fauorabiles liberam hancce de rebus disponendi facultatem in eo

A 3

coar-

a) Cautum enim erat apud Romanos legibus XII. tabularum: *Pater familias vti legaffit super familia, pecunias tuncclav rei suae, ita ius esto!* Testamenta vetustissimis temporibus in comitiis calatis legum instar condebantur, serebantur, eandemque in-

dolem sequiore aeuo retinebant ita, vt principium postea staret, testamentum factio*nem* esse iuris publici, hinc testamentum dicitur *vnuos*; conf. Leg. 3. ff. qui testamenta facere possunt; Leg. I. C. de Sacro Sanctis Ecclesiis et Nouell. XX. cap. I. princ.



coarguere, quod dispositiones inpias et alias, quae vel sanae rationi repugnant, vel iuri scripto aduersantur, vel bonis moribus contradicunt, vel denique initio et fine deseruntur, nisi in totum, certe quoad inpias, irrationalib[us], illegitimas, dishonestas atque sibi contradictorias partes prorsus reiiciant et pro non scriptis declarent, ex ipsis illis legum fontibus conprobatur^{b)}. Hascine ergo claras, quae inscitiae et pro re nata etiam inpietati testantium finem metamque ponunt, legum constitutiones, hic ampliori oratione colemus? neutiquam neque enim quae iuris positui certi sunt, interpretatione aliqua indigent, neque nobis de illa legibus temperata testatorum mera libertate, imo de quaestione, quam, nisi egregie fallimur, ipsae leges earumque commentatores indecisam imo indelibatam reliquerunt, agendum est. Eo lubentius igitur qualemcunque nostram diatriben aequo lectorum arbitrio commendamus, quo magis rei nouitate ipsis delectamur, et quo suauius est, schedis illis non inaudita quidem, quorum nos haud idoneos profitemur interpretes, nec tamen saepius recantata publici iuris facere.

Quare tantum nobis a lectoribus dari, ut conatus, ni laude aliqua, venia saltem haud indignos iudicent, certo speramus.

§. II.

Quaeritur itaque, antecedentia enim prologi loco dicta sunt, num *executor testamenti in eodem heres ex ase scriptus esse possit?* cui, si quid certi respondendum, missis interea aliis omnibus, num officia huius cum illius munere tam amice conspirent,

b) vid. omnino Lib. II. Tit. XVII. Inst. quibus modis testamenta inserviantur.

spirent, vt coniungi recte in vna eademque persona possint,
simul ponderari debet.

Et primo quidem intuitu circa exsequendam testatoris ultimam legem aequales vtriusque obligationes, paria iura vindentur. Nam vterque, heres accessorie, principaliter exsecutor, curam adhibeat necesse est, de ultimae voluntatis iusto implemento. Quodsi autem adcuratius ex esse heredis singularia officia agmine veluti lustremus, maior erit horum, prae executoris obligationibus, ambitus. En recensendo vtriusque munere ex templo periculum faciamus, quo clarius in thesi fiat affirmatiuae fundamentum.

Heredem non in re certa, siue singulari, sed in omnibus testatoris facultatibus institutum, scimus in omne ius et in omnes testatoris obligationes, si intransmissibiles excipias, quippe quae morte extinguntur, a mortis momento, mediate quidem testamenti charta, immediate quasi contra dictu additionis, vel inde succedere, quod iustum sit, cum successionis commodo hereditatis incommodum coniunctum esse, legitimum quoque, neminem pro parte testatum, pro parte intestatum decedere posse. Ex hoc adparebit, scriptum heredem ab adita hereditate in omnibus repraesentare personam testatoris, et illum rata habere, non solum quae sibi ultima voluntate iniuncta, verum etiam quaelibet defuncti facta licita pro suis quasi agnoscere. Nec est igitur quod illum officio suo satisfecisse arbitremur, si tabulis testamenti agnitis funus duxerit, impensis lugubres vel ex hereditatis parata pecunia, vel in subsidium e re sua familiari erogauerit, legata et alia debita hereditaria, uno verbo aes hereditatis alienum omne, quo non antea deducto, nulla hereditas intelligitur, soluta praestiterit, atque ita testatoris desideriis testamento scriptis locum reliquerit, sed ad alia etiam omnia haud expressa, quae circa

circa vniuersam obueniunt hereditatem, se omnino obligatum sentiat; sic inventarium super adsignata sibi hereditate conficiat vel confici curet: feodi, si quod est, inuestitutam intra statum tempus renouet: lites reassumat: deposita, si quae inueniantur, deponentibus reddat, et stipulationibus testatoris omnibus fidem habeat.

Tacendo reliqua heredis officia, pro cuiuscunque hereditatis rationibus diuersa, nunc difficiliora, grauiora et numerosiora, nunc faciliora, leuiora et pauciora, iam ad exsecutoris testamenti munus orationis filum producimus.

§. III.

Et paululum quidem vberiores nos esse atque fusiores in exponentibus exsecutorum tam aetate et originibus, quam speciebus et officiis, nemo facile nos arguet, cum propterea, quod hisce pagellis horum causa ex proposito agatur, tum etiam, quod hereditatum et heredum criteria longe meritissimis viris, qui ex professo huic materiae operam dedere, ita fuerint cordi, vt ab ipsis quasi exhausta nobis otium fecerint. Testamentorum exsecutores, siue ad testamentorum exsecutionem deputatos^{c)}, piis causis suas debere, omnes uno ore

c) conf. cap. vlt. princ. et §. final. de Testamentis, in VI. Clem. vnic. eod. tit. Vocantur etiam *distributores*, *dispensatores*, *ministri*, *procuratores*, *economi*, *diuiri*, *vice-bereades*, *vice-legitarii*, *commissarii*, *restauranteiri*, graece: *επιτρόποι*; in lingua vernacula: *Treuhändler*, *Testamentarier*, *Testamentovollzieher*, et Italisch *gadiatori* siue *gadiatores*, apud *Oldendorpium* in tract. de exsecutoribus ultimari. volunt. Tit. I. §. 2. et apud Job. Iac. de *Canibus* in praefat. comment. de exsecutoribus ultimari. volunt. Hispanis *Cabezaleri*, Venetis *Dini Marci procuratores et furnitores*, Gallis *les executeurs du testament* audiunt, conf. *Fran. Henr. Hoclichii* diff. de exsecutoribus testamenti, Witeb. 1674. et *Ioh. Henr. Feltzi* theses iuridicas de exsecutoribus testamentiariis, Argent. 1715.

ore consentiunt^{d)}). Propter eas enim causas, putā captiuorum redemptionem, alimenta pauperum, templorum, academiarum, gymnasiorum, orphanotropheorum, xenodochiorum item ac ptochotropheorum dotationem, quae sibi ipsae prospicere non possunt, exsecutores initio constitutos fuisse, leges perhibent^{e)}). Notatu fatis digna venit constitutio Manue- lis Comneni de exsecutoribus testamentorum imperatoria^{f)}.

Saepe

d) vid. Henr. Cocceji diff. de exsecutoribus testamentariis et iure patro-natus, Francof. ad Vladr. 1709. Aug-de Leyseri meditatt. ad Pandectas Spec. 374. Wernheri Select. Obs. For-rens. Tom. III. Part. II. obs. XCII. Frid. Teopb. Zollerii diff. de exsecutoribus ultimar. voluntatt. Lips. 1763. Bergeri oeconom. iur. ex edit. b. Winckleri pag. 286. et complures alios. Federicus Scorus, Iureconfu-tus quidam vetustus, non ignobilis, exsecutorum primas origines a modo condendi testamento in comitiis cala-tis trahere haud dubitauit, in quibus testatores nimirus Quiritibus ultimas

voluntates earumque exsecutionem commendasse, sibi visum est. Habet haec coniectura probabilitatis non nihil, quea tamen Tureconsultorum quippe antiquis illis temporibus viuen-tium ad sensu monumentisque destitu-ta, non plenam fidem promerere vide-tur. conf. omnino Wolfg. Adami Lou-verbachi diff. de exsecutoribus ultimar. voluntatt. Tubing. 1668. in praefat. et in eius collectis disputationibus Vol. II. no. 79.

e) Lex 28. §. 1. C. de episcopis et clericis, Nou. CXXXI. Cap. II. et conf. ad hos locos, quos nota c) et d) laudauimus, commentatores.

f) ita enim ille:

„Multi homines in extremis suis dis-positionibus procuratores sive exsecuto-res eorum, quae praescriperunt, relin-quent, iisque Christo herede scripto, re-rum suarum dispensationem atque ad-ministracionem iniungant. Iubemus igit-ur, ut quando huiusmodi procuratoriae dis-pensationes, et in piis causas distribu-tiones, quae ad animae rectum ductum ac pupillorum, senum atque pauperum educationem et exhibitionem tendunt, proponuntur, in his iudiciorum protela-tiones, atque qui hinc existunt inanes temporum decursus, locum non habe-ant.

,Πολλοὶ των αὐθεωτῶν εν τοῖς επιτε-λευτοῖς αυτῶν διαταγμασιν επιτρόπους, ήγενούς διοικητας τῶν παρ' αυτῶν διορισθεντῶν, καταλιμπανεῖσθ, καὶ τυτοῖς ανατίθεσθι την των πραγμάτων αυτῶν οικονομίαν τε καὶ διοικησιν, τὸν Χριστὸν κληρονομοῦ γραφον-τερ. παρακελευμέδα εν, δταν επιτρόπων τοιαντον διοικησεις περικεντον, καὶ εἰς ευ-τεβεις αιτιας διανομην καὶ προς ψυχήναις οι-κονομίας, καὶ δραφανων αφιλικον τε καὶ πενηντων αναγωγας καὶ διατροφας τενωσι, μη κωραν εκεῖν εν ταύταις της των δικαστη-ριων ὑπερβιβασμος, καὶ τας εντευθεν χρο-νικοριθμεις· συμβανει γαρ εντευθεν πας

B

παν

Saepenumero ipsi testatores, quum metu dilapidationis vel rapacitatis moti, heredibus, alias executorialibus legitimis^{g)}, fidem non haberent, quo certiores se redderent, fore, ut legata

ant. Contingit enim hinc, ut defunctio-
nam animae damnum subeant, et com-
munis omnium boni vtilitatisque causa
latae leges commutentur in contrarium.
Tunc neque iustum esse imperatoria mea
maiestas indicat, vt, qui ordo in reliquis
iudiciis obtinet, etiam in istiusmodi usur-
petur, sed vt talium specierum ambigu-
tates confessim soluantur, neque libel-
lus detur, et cognitio in tres aut sum-
mum quatuor dies differatur, nulla ju-
diciaria dilatione introducenda, quid
cuicunque iure competit, disquiratur, citra
omnem dilationem utraque pars accer-
fatur, atque ut quid iuris se habere pu-
tet, proponat, exigatur, tumque de-
imum per breve tempus, in mensem
forte vnum aut etiam alterum extenden-
dum, res in controversiam deducta, pro-
ut iudicii vsum fuerit, conuenienter di-
rimatur, in sua sede ac soliditate fir-
mer maneant leges, quae non mox a de-
functi more, sed post aliquot dieorum
decursum successores ipsius in iudicium
trahi statuunt. Si vero procurator ad
dilationem vergere videatur, eaque euer-
tere dolo deprehendatur, nec quem-
admodum testator praecepit, procrasti-
nationes neciendo faciat, a rerum de-
functi procuremente ac dispensatione
remoueat.

g) Heredes executores legitimos
pronuntiat lex 28. init. C. de episco-
pis et clericis; lex 36. §. fin. C. de
inofficiose testamento; lex 5. §. I. et

των τελευτων διμισθων φυχας, και
τες επ' αγαθη και κοινη λυσιτελεια τε
παντος τε θευτας νομις εις τεναντιον περι-
ιτασθαι; ο γαρ δικαιον κρινει η βασιλεια
ια την επι τοις λοιποις δικαιοριοις κρινε-
ταιν απολαβισαι και επι τοις τοιχοις πολι-
τευονται αλλα τας επι τηις τοιχωταις
υποθεστον αμφιβολιας απεντευθεν λυ-
σθαι, μη λιθελαι διδοκενται, ειδησεως δε τημ-
ηραι, και τις επι τεταρτη παρεκτενομενης,
μη τηνς γαρ δικαιονται υπερ θεσεως επει-
γουμενης, η του προσοντων έκαπον δικαιο-
ν γνησησεται κατέβασιςⁱ και μεταλη-
θυσεται και αμφο τα μερη, διχα τηνς δι-
περημεραις, και απαιτηθεσται έκατερα τα
μερη τα δοκιντα συντενειν αυτοις, προβι-
λεθαι^j και έτω δι ολιγη καιρω, μηνιατικον,
η και εις δευτερου παρεκτενομενοι,
κατα το δοξαν τη δικαιη προσδικησαν δε-
ξιοτο λουσι το αιωνιψαν αμφιβολον κυρ-
μενον δηλοντι των νομων επι τηις οικειας
εδρας και παγιοτητος, δοσι μη μετα του
τη τελευτησαντος θανατου^k ενδυς τηις εκεινη
διαδοχης, εις δικαιογον έλκεσθαι διοριζο-
νται αλλα μετα παραδοσομη μημερων τινων,
καθως τα περι τηιν πλατυτεροις των βα-
σιλικοις διμηγορευεται^l. ει δε γε επιτροποι εις
υπερθεσιν φανει χωρου, και τοιχωτων σκια-
ωρων φωραδειν, και προς υπερβιβασμης χω-
ρησται, μη ποιων καδως ο διαδειμενος διετα-
ζεται, της επιτροπης και οικονομιας των τη
τελευτησαντος πραγματων μετακινησε-
ται.

lex 14. in fin. princ. ff. de appellatt.
conf. Wernberi Select. Obs. Foren.
Tom. III. Part. II. Obs. XCII. et Coc-
ceji diff. laud.

gata piis causis relictā cum iusto tempore, tum modo praecripto exsoluerentur, testamentariae exsecutionis potestatem magistrati, clero, amico vel alii viro, cuius animi probitatem sinceritatemque satis explorauerant, aut cum aliquali in remunerationem et honorarii loco pensione, aut sine illa, in testamento committebant, nec raro de eadem exsecutione cum iisdem inter viuos paciscebantur. Hi exsecutores, prout ab ipso testatore vel pacto ordinati, vel ultima electi voluntate, varie, hi *conventionales* s. *pactiti*, illi *testamentarii* appellati sunt. Et quod ad *pacto* electos exsecutores attinet, hos se a munere isto non nisi ex causa aliqua fontica et satis graui excusare posse, procul dubio est. Pacta enim fernanda sunt, atque nihil negligendum, quod in obligatione est, nisi mutuo partium consensu vel accedente inpotentia insanabili. Quoad exsecutores ultimarum voluntatum *testamento* constitutos res longe aliter se habet, quum nemo ad mandatum re adhuc integra cogi invitus possit, ideoque his exsecutoribus mandato tempestiue abstinenti libera sit potestas^{h)}). Eosdem tamen, aequae atque pactitios exsecutores, officium commissum declinaturos perdere legatum sub conditione suscipiendo illis scriptum, eo minus mirandum, quo usitatus est, omnia legata sub conditione aliqua, vti vulgo loquuntur, potestatiua relictā, conditione a legatario non adinpleta exspirare, et iure ad crescendi ad hēredem recedere.

§. IIII.

Sed quoniam multum reipublicae interest, piarum cauſarum aeraria in dies augeri, eorumque augmentum imme-
B 2 diate

^{h)} conf. *Hommelii Rhaps. Obs. CCCLXVIII.* et *Feltzii* diff. supra laud. quaest. 3. Quid reliquum, testamentarii exsecutores recte etiam codicillis aliisque ultimis voluntatibus minus solennibus constitui possunt, secundum *Lauterbachium* in diff. laud. Cap. III. §. 2.



diate ad communem salutem haud parum refert, nihilo tamen fecius heredes arrogantiae stimulis nimis abreptos, legata ad pias causas non nunquam dissimulasse constat, magistratibus, quorum officio nihil debet esse sanctius atque antiquius, ne piarum causarum patrimonia detrimenti quid capiant, etiam intuitu legatorum his relictorum sedulo curare debent^{i).} Autdiamus, qui de illa causa disserit, *Coccejum*^{k).} „Hoc,“ inquit,

i) in Saxonia conf. omnino *Generale* de valore legatorum ad pias causas, d. d. 16. Sept. 1746. in Contin. Cod. Aug. Tom I. pag. 362. Verba integræ haec sunt:

Nachdem Wir, zum Besten derer Armen: Waysen- und Zuchthäuser, Hospitäler, auch anderer dergleichen piarum causarum, und damit dieselbigen zum Genuss derer ihnen von guthätigen Personen gegönneten Legatorum um so ehender, auch ohne allen unmittelbaren Streit und Weilsäufigkeit geslangen mögen, zu verordnen der Nothdurft befinden, daß eines Theils zur Gültigkeit derer berühmten Stiftungen zugeschickten Vermaßnisse genug seyn solle, wenn nur der Defunctor aus seinen Willen deshalb schriftlich hinterläßt, und sohane entweder von ihm selbst geschriebene, oder wenigstens eigenhändig vollzogene Disposition, nach seinem Ableben, in seiner Erbschaft unversiegelt gesunden wird, mithin, daß er dieses Legatum dem Armen: Waysen: oder Zucht: Haus oder andern piace fundationi zuzuwenden, annoch bey seinem Ende gemeynet gewesen, hinlängliche Gewissheit vorhanden ist, andern Theils aber alle Obrigkeiten, wenn ihnen bey Publication eines letzten Willens, oder gerichtlicher Inventur,

von einem dergleichen Legato zuverlässige Notiz zukommt, das Armen: Waysen: oder Zucht: Haus, oder andere milde Stiftung davon alsofort zu benachrichtigen schuldig und verbunden seyn, auch, ehe das Legatum bezahlet, oder wenigstens baar deponiret, einige Ertheilung nicht verstatten sollen; Als ergehet demnach an Unsere Vasallen ic. Unser erster Wille und Befehl, solches gebührend und genau zu beobachten und zu befolgen. Conf. si placet, de eo quod iustum sit apud Borussos de executoribus testamenti, nouum legum codicem Tom. II. Part. I. Tit. XII. §. 557. vsque ad §. 562. et Tom. IV. Part. II. Tit. XIX. Von Armen: anstalten und milben Stiftungen. Ceterum Wernerus Select. Obs. forens. Tom. III. Part I. Obs. CXXIV. et T. III. Part. III. Obs. CCCCLXXVIII. legatum ad pias causas relictum ab eaurum administratoribus repudiari non posse, auctoritate rerum iudicatarum contendit. Adde Hommelii Rhap. Obs. CCXXXII. et DCXLIII. nec non Bergeri econ. iur. pag. 267. ex edit. b. Winckleri.

k) in dissertatione laudata, quaest. 1. No. 19. adde Oldendorpium in comment. cit.

quit, „ius et officium exsequendi testamenta, quod iuri et officio magistratus cohaeret, primario est summae majestatis, siue principis, a quo, vti omnis magistratum potestas quasi a fonte fluit, ita etiam iisdem ultimarum voluntatum exsecutio subsidiaria in perpetuum commissa est“. Quodsi ergo vel non constituti sint a testatore exsecutores, vel constituti officio suodesint, vel heres, exsecutor legitimus, hereditatem repudiet, aut nimis negligentem se gerat, succedit magistratus officium, et quidem secularis, in legatis secularibus, in ecclesiasticis vero ecclesiastici¹⁾. Hi exsecutores summa principis auctoritate perpetuo constituti publici s. legitimis subsidiarii nuncupantur, quae ultima vox discrimen hos et heredes paulo ante exsecutores *legitimos* appellatos intercedens notat. Nec tamen obsoletum est, magistratus plurimis iisdemque gratissimis negotiis pressos, hocce exsecutionis testamentariae munus huic vel illi ciuium fidei non refraganti subdelegare, qui magistratus voto electi atque confirmati exsecutores nomine *datiuorum* veniunt. Nam quemadmodum a primis fere ciuitatum incrementis penes ordinem senatorium fuit munerum publicorum inter ciues idoneos atque capaces dispensatio, ita nec videmus, quid obstat, quo minus adinplendarum ultimarum testationum munus, alias priuatum^{m)}, personis fide magistratui obstrictis gerendum demandetur.

B 3

Sequ-

1) Leg. 30. §. 9. ss. de fideic. lib. Leg. 28. C. de episc. et cler. Nonell. CXXXI. Cap. II. quo loco supremo exsequendi potestas adeo extenditur, vt episcopus, herede vel exsecutore recusantibus munus, illud vi petere queat, quamvis testator episcopum omni exactione et administratione penitus priuauerit. conf. Wernberum

Selest. Obs. Forens. Tom. I. Part. I. Obs. XXI. Sect. II. no. 180. et Tom. III. Part. II. Obs. XCII.

m) Eo enim, quod priuatum sit exsecutionis munus, illud a munere tutelae in primis disponere videretur, ad quod subeundum iam apud Romanos ciues cogi poterant, hodieque possunt; in Saxonie secundum Ord. Tutelarem d. 20.

Sequitur alia exsecutorum distributio classica. *Generales* illi sunt et *speciales*ⁿ⁾, quando ipsis vel vniuersa hereditas ordinanda relinquitur, vel sola de legatis inprimisque ad pias causas exsoluendis curandi attribuitur auctoritas. In dubio hi, non illi praesumuntur, quoniam reliqua circa hereditatem negotia instituti heredis sunt.

Alii praeterea exsecutores sunt *perpetui*, alii *temporarii*. Quae quidem diuisio inde origines dicit, quod ipsorum munus plerumque per annum durare, eoque effluxo expirare *Ioh. Oldendorpius* et *Ioh. Iac. a Canibus*^{o)} iudicauerint. Neque tamen satis clara atque certa nobis videtur horum virorum interpretatio, quin cum iis consentiamus. Fortassis adcuratius *temporarii* exsecutores dicuntur, quibus in diem testamenti exsecutio demandata est; *perpetui* e contrario, qui tam diu muneri praesunt, donec vniuersa hereditas pro defuncti testatoris voluntate distributa. Alii porro *seculares*, alii *ecclesiastici* sunt, prout vel iudici ciuali, vel ecclesiastico exsecutio committitur. Alii *cum*, alii *sine libera*, scilicet potestate, constituuntur. Alios tandem *honorarios*, alios *notitiae voluntatis testatoris causa datos* vult *Franc. Henr. Hoeltichius*^{p)}.

§. V.

d. a. 1782. Cap. VIII. §. 3. et apud Borusses vi noui legum codicis Tom. IV. Part. II. Tit. XVII. §. 109. usque 111. et §. 200. usque 207. Ceterum excaue, ne confundas exsecutores testamenti datiuos cum datiuis hereditatum incenium curatoribus, (Verlassenschaftsvertretern) qui a iudice constituantur, quando defuncti heredes ab intestato ignorantur, eo confilio, vt proximitatem gradus in variis here-

dibus, qui in termino edictali ex hereditatis ab intestato capite comparuerunt, et creditorum forte etiam hypothecariorum nomina eorumque iustitiam disquirant.

n) *Bergerus* in oecon. iur. pag. 286. ex edit. b. *Winckleri* illos mixtos, mere tales hos nuncupat.

o) in Commentariis laudatis.

p) in diss. cit. Posit. 14.

§. V.

Expositis huc vsque testamenti exsecutorum primaeuis originibus atque notatu dignis speciebus, quomodo haec ordinandae, vberius videre, iam nostrum censemus. Res nulla laborabit ambiguitate, modo diuersa tutelae genera, quorum cum variis testamenti exsecutorum speciebus non dissimilis conditio est, mente reuocemus. Paetitiam tutelam rite atque legitime contractam testamentariae, legitimae atque datiuae praestare, vel ideo arbitramur, quod testamentum in paeti fraudem conditum, omni destituatur quoad fraudis effectum fundamento, legibus publicis priuatorum conuentionibus derogetur, et datiuae tantummodo tutelae usus subsidiarius, quam defuncti parentis dispositio et promulgatae legis applicatio deficiat, locum sibi vindicet^{q).} Idem de exsecutorum testamenti munere tenendum est.

Nam paecto constitutus testamentarium, legitimum et datiuum excludit, testamentarius legitimum et datiuum, datiuum denique legitimus.

Res aperti iuris moram omnem quae vetat, ad exsecutorum officia nos transmittit.

§. VI.

Probe distingui debent exsecutorum *generalium* et *specialium* officia^{r).} Illi enim ex mandato circa exsequendam ultimam

q) conf. diff. *Nostram inauguralem* de tutela feodali, inprimis electoralis Saxonica, Lips. 1790. Sect. I. Cap. I. §. V.

r) *generales* proprie testator solus constituere potest, non magistratus,

qui ipse specialis exsecutor reputatur tam diu, donec heres prodigus ita hereditatem dilapidet, vt absentibus forte legataris siue coheredibus damnum irreparabile iure metuendum. Diximus legataris siue coheredibus *absenti-*

mam voluntatem partes heredis agunt, et omnia procurant, quae in diuidenda eriscendaque hereditate quomodocunque obueniunt. Neque tamen tantum illis attribui posse existimamus auctoritatis, ut heredis voto neglecto, solis executoribus administrationem hereditatis adsignemus, imo, si consulto demum herede grauiora negotia componere, nec sine consensu eius ardui quidquam suscipere velint, tutius eos in officio suo versaturos esse putaremus. Inhumanum enim nimis est turpe foret, illum, ad quem hereditatis summa portio pertinet, sine iusta causa ab administratione remouere.

Plura de his infra, ne disputationis ordinem interrum-pamus. Multo restrictius erit executorum specialium munus. Hi enim, ne fines mandati excedant, diligenter prouideant necesse est. Et quo adcuratius quidem mandati cognoscatur tenor atque ambitus, executores, generales sint aut speciales, copiam testamenti tabularum sibi fieri, primum carent. Quam inspiciendarum veniam a magistratu, si publicum testamentum est, facile inpetrabunt. Priuata auctoritate, puta coram notario et testibus si conditum est, ille de exhibendis tabulis adeundus, quibus perlustratis demum officii qualitas diiudicanda. In primis executorum specialium fidei iusta ex-soluendorum legatorum cura iniungitur. Quando illorum

dies

absentibus, horum enim bona sub tutela magistratus sunt, qui curam adhibere debet, ne miserabilem, et quae habentur pro talibus, personarum patrimonia dissipentur. In Sachsenia habes de illa re *Mandatum Eleitorale* die Verkürzung der Curae absentium und deren Vermögens: Administration betr. d. d. 13. Nov. 1779. conf. omnino Patruelis nostri *Iob. Ad. Theopb. Kindii* diff. de successione in

bona absentium, Lips. 1776. et prae-matura morte nobis erepti *Iob. Frid. Schottii* diff. de citatione editali in hereditatis absentium ob mortem praefumtam petitione, Lips. 1791. Eiusdemque programma ad *Iob. Christi. Knoetzscheri* nobis amicissimi diff. inaugurelam: ausus pontificum Romanorum vicariatum S. R. I. sibi arro-gandi, Lips. 1792.

dies cedat et veniat, testamento disponitur^{s)}). Pura legata cedunt et veniunt iure Romano^{t)} a tempore mortis, iure Germanico et Saxonico^{u)} cedunt etiam a morte, sed veniunt a tricesimo post obitum die, conditionata contra cedant licet etiam a mortis momento, veniunt tamen adinpleta demum conditione. In puris igitur legatis exsecutor de solutione post diem elapsum tricesimum sollicitus esse debet, aequa atque in conditionatis post adinpletam conditionem. Quid vero, si testator a diebus lege constitutis cedentibus et venientibus recesserit, alios praesigendo terminos? Tum temporis praescripto insistendum est. Supra commemorauimus, exsecutores testamenti praecipue constitui, ut videant, ne legata adpias causas ab heredibus subtrahantur, imo suo quodus tempore exsoluator. De veniente ergo legatorum ad piwas causas die testamentum vel disponit, vel filet. Si illud, conditionata sunt legata, vel pura. Conditionati legati diem venire ab adinpleta conditione modo attigimus, salua, si alia testatori placuerint, exceptione.

Ponamus itaque testatorem de legato ad piwas causas hoc vel illo alias conditionato, ita disposuisse, ut solutionis diem prius ipse constituerit quam adinpleta esset conditio: Diem tunc pro homine interpellare Iureconsulti dicunt, nec solutionem ab herede, exceptione praestitae nondum satisfactionis, legati conditionem suo scilicet tempore adinpletam fore, exsecutori opposita, iure detrectari posse, quoniam piwas causas corporum et vniuersitatum instar a cautione liberas leges volunt.

Idem

^{s)} Leg. 213. ff. de verborum significatione.

^{t)} Tit. integr. ff. quando dies legatorum vel fideicommissorum cedat.

^{u)} Decis. Elect. XII. de 20. 1746.

C

=====

Idem iuris erit, si testator in legato ad pias causas puro diem dixerit exigendae solutionis, si vero tempus soluendi legati ad pias causas haud definitum, ordinarium et legitimum tempus obseruari receptum est.

§. VII.

Reliqua exsecutorum in primis generalium officia pro testamentorum varietate ita mire variant, ut certa vix regula ipsorum fines regi possint. Sic interdum exsecutoribus con credita est inventarii confessio, interdum testatoris sepultura, ne impensae vel nimis parcae, vel nimis immodecae fiant, commendata, interdum totius hereditatis delegata administratio vel coadministratio.

Tabularum copia, quod paulo ante narravimus, exsecutorem ab omni dubio liberabit. Quantum igitur fidei curaeque suae relictum, in tantum heredi, legatariis et aliis omnibus obligatur. Quid, quod ad rationes adeo reddendas eum *Struuius*^v), *Hoeltichius*^w) et alii obstrictum opinentur? Sed distinguendum est cum *Wernhero*^x), num exsecutori universalis hereditatis administratio demandata fuerit, nec ne? in illo *Struuius* et *Hoeltichio*, secus hoc in casu applaudimus. Quo usi argumento, addamus. Testatorem voluisse praesumitur, hereditatis administrationem ad eum principaliter pertinere, quem rerum sharum scripsit successorem, licet securitatis causa ipsi exsecutorem adiunxerit. Quemadmodum autem praesumta voluntati parendum, ita etiam, cum fanae rationi, tum legibus

v) in iurisprud. Rom. Germ. fo- *Lauterbachii* diff. cit. Cap. VIII. §. renf. Lib. II. Tit. XXVIII. §. 3. 149. sequ.

x) Obs. Select. Förenf. Tom. III.

w) in diff. supra laudata, conf. Part. III. Obs. XLII.

gibus contrarium foret, eum, qui solam habuit de desideriis defuncti rite explendis inspectionem, reddendarum rationum exactione sollicitare. Accedit, quod si quid in administranda hereditate vere neglectum fuerit, illud damnum non ad legatarios, quibus nihilo secius integra legata praestari debent, sed ad solum heredem redunderet, a quo insuper, si dilapidatio aut alia irreparabilis diminutio probabilitate metuenda, *res legatariis saluas fore*, caendum est.

Postremo adnotamus, dubium illud, quod mouit *Zelatorus*^{y)} de continuandis testatoris litibus, ipsa illa exsecutorum generalium et specialium diuisione tolli, quoniam illi durante administratione hereditatis testatorem repraesentantes etiam ipsius lites continuare obligantur, hi secus, ne laedant excedendo mandati fines scriptum heredem.

Agmen claudunt qui finiunt exsecutorum munus modi. A mandato argumentari iuuabit, quod, sicut perfecto negotio expirare constat, ita etiam ultima voluntas plenarie servata atque ad finem perducta constituto pronisori otium facit. Idem de morte naturali, ultima rerum linea, dicendum erit. Testator enim, vel qui exsecutorem constituit magistratus, ipsius fidem atque industriam prae ceteris elegit, quae electi personam non excedit^{z)}). Dolus denique, malitia, et omnem fidem quae fallit negligentia, iudici cognita, priuationem a munere cooperatur.

§. VIII.

Discrimina heredis et exsecutoris finibus absolutis addita deciduae nostrae quaestioni viam parabunt.

C 2

Quem-

y) in cit. diss. §. 8.

z) vid. Leg. 26. princ. et Leg. cit. diss. quaest. 4.

57. ff. mandati. et conf. *Feltzium* in



Quemadmodum heredem principalem esse in ipso testamento personam vel inde patet, quod testamentum sine legitima heredis institutione pro nullo habeatur ^{a)}), ita etiam exsecutorem partes agere accessorias atque minus principales, eorum ultimarum voluntatum, in quibus nemini exsecutio commissa, valor atque integritas satis superque conprobata.

Exsecutorem nudum mandatarium, heredem successorem esse in viuierum ius et in omnem obligationem, quam defunctus habuit, et prouisorem testamenti absolutum, supra exposuimus. Nec minus eundem mandatarium in rem alienam ibidem pronunciauimus. Fortassis exsecutorem specialem haud inique cum honorario tutore s. non gerente, heredem cum tutore legitimo s. gerente compararemus.

Iam, quamvis vtriusque munus una eademque persona connectendum esse praecipue propterea iudicemus, quod, nisi testamenti tabulae vel aliud cupiant, vel grauis contra heredem pugnet aut negligentiae aut dilapidationis aut auaritiae suspicio, exsecutionem testamenti ad illum pertinere, indubitate iuris sit, ex eadem tamen causa propositae quaestione decisio nem haud leui difficultate laborare sentimus.

Exemplo rei tenebrae vtiue illuminandae sunt. Sulpicius heredem ex ase Hortensium quem scripsit, in iisdem tabulis constituit reliquarum dispositionum exsecutorem. Quis quaesumus est, qui non pleonasticam et vero superfluam e dictis arbitretur hancce exsecutionis denominationem, quis est, qui non sequentia praecedentibus, quomodo vulgo loquuntur, ex fronte contraria declarat? Testator heredis sinceritati diffidens exsecutorem alium testamento sibi eligere gestit, quo certio-

a) conf. Alb. Phil. Frickii diss. de in formam testamenti validi reconu-
testamento nullo infecata heredium lescente, Helmst. 1771.
ab intestato approbatione nunquam

certiorem se reddat, fore, vt post decepsum omnia ex sua lege fiant; hunc igitur electum rerum suarum post mortem ordinandarum patronum, ipsum heredem, cui omnem fidem non habet, esse iubet? Nonne ipse hac addita testamento perversa clausula cum patre comparandus videtur, alioquin seuero et astuto, qui filio peregrinanti comitem daturus, quo in vitae honestatis decorique studio, in sfernenda fugiendaque iuuenum male moratorum dissolutorumque consuetudine, quo anceps forte in vitii virtutisque triuio, suasore et auctore, quo pressus denique aliqua calamitate, praefide et defensore utatur, vt haec omnia ipse sibi praeferet officia, sine magistro a se dimittit? Nonne tam ridicula haec esset, quam absurdia, tam inofficiosa quam sibi contraria muneris demandatio? Nonne velle hoc esset et simul nolle? Quum enim pater ipsi filio, nec tertio curam atque defensionem inpuberis sui committit, ac si in neminem hocce mandatum contulisset, idem foret. Filius enim in itinere fortis et constans, hoc sibi erit absque patris intempestiuo mandato, timidus et inconstans supinam eius prouidentiam nihilo minus securus vilipendet. Et haec omnia ad rem nostram commode adplicanda sunt.

§. VIII.

In his dubiorum angustiis legum oracula consulere tutissimum esset, modo quidquam praeципerent. Neque hoc tamen nos a coepio consilio, quod consequi viri constantis est, ullo paecto deterrebit. Paleas qualescunque colligentes analogiam iuris sequemur.

Ac primo quidem in legibus, quamuis contractus contradictoriis et impossibilibus dispositionibus propterea vitiantur, quod deesse praesumitur seria pacientium voluntas, conditio-



nes tamen impossibilis et derisoriae tam heredis institutioni quam legatis additae, pro non scriptis, nec illa minus quam haec pro puris habentur^{b)}). Deinde superflua in iure nunquam nocere, certo relatum habemus. Tum multum interesse ciuitatibus, ne testamenta destituantur, experientia quotidiana scimus. Denique hanc ipsam ob rem apud Romanos bonorum possessione secundum tabulas testamentis claudicantibus, vii aliis legum fictionibus, praetoream succurrisse aequitatem res fane tritissima est.

Quae quum ita sint, conclusione a simili ad simile instituta, exsecutorem testamento nominatum aequem ac reliquos exsecutores scriptos simul in testamento ex alse heredes esse posse, nos quidem iudicamus, modo adsit heredis institutio legitima, nec quae vila incertitudinis macula laboret.

Itaque seriam quum subsumamus testatoris in condendo testamento, sine qua destituitur ista proprie sic dicta testamenti factio actiuia, voluntatem, iis simul respondemus, qui de hac ideo ambigendum esse censem, quod exsecutoris officium cum heredis partibus in unam eandemque personam ille collocauerit. Et immaturum profecto foret iudicium, eum infanum habendi, qui pleonastico sermone delectatur.

§. X.

Explicatae quaestioni additaeque nostrae sententiae illustrerem casum, qui, ut quod rei est, ingenuo profiteamur, nuper in causa aliqua oranda se nobis obtulit atque ansam huic disquisitioni praebuit, adspargere lubet.

Res

b) conf. Leg. 3. ff. de condit. et demonstrat. Leg. 6. 9. et 15. ff. de condit. institut. Leg. 3. princ. et Leg. 4. §. 1. ff. de his, quae pro non scri-
ptis. Leg. 54. princ. et Leg. 101. §. 1. ff. de legatis I.

Res ita se habebat: Sempronius Cajo hospiti, locauerat enim hic illi primam aedium suarum partem, non consanguinitate, sed amicitia, nec ea intima, sibi iuncto, hereditatem vniuersam adsignauerat ea lege, vt legatis integre exsolutis, reliquam hereditatis substantiam reciperet, atque eidem Cajo, addita causa impulsiua, vt sine omnibus litium ac protelationum ambagibus voluntas vnde quaque adinpleatur, in iisdem testamenti tabulis earum promtam exsecutionem demandauerat. Catus, de concredita fidei suae exsecutione testamenti a moribundo Sempronio certior factus, postquam illi, se curam adhibiturum, vt post testatoris obitum omnia ex voto fiant, manu stipulata promiserat, breui post Sempronium e viuis deceſſisse, in ephemeredibus Lipsiensibus politicis more Nostratium recepto adnunciat, atque ipsam mortis Sempronianaē denunciationem nominis subscriptione munit testamenti exsecutor, omissa tamen clausula, se institutum quoque esse a defuncto ex aſſe heredem. Eodem fere die Catus iudiciali obſignationi, qua opus esse magistratui urbano videbatur, ipsis verbis Sempronii prohibitiuis, vti ajebat, commotus, interposita a iudice pedaneo ad superius tribunal et ab hoc ad ipsum principem prouocatione, solenni ac consueto more contradicit, addita pollicitatione, se ipsis testamenti tabulis, quam fieri posset breuissime arceſſendis, intentionem suam qualem cunque expresso mandato fundatam, confirmaturum esse.

Inspectis tabulis interim apertis, legatarii Cajum exsecutorem et heredem, post tricesimum diem de exsoluendis legatis puris adeunt. Ad hos Catus: „Heres sum, inquit, hereditatemque adibo. Sed hereditatis specificatio quam confeci, iure iurando firmando, vos docebit, legatorum integra exhibitione vniuersam hereditatis summam quadraginta et trium mil-

lium



lium thalerorum, quam quadraginta millia thalerorum quantitas legata sit, fere exhauri. Beneficio Falcidiae vtar!“

Dúplex igitur sese nobis obiicit quaestio, altera: *Num Cajus executor testamenti simul heres esse, altera: Num quartam Falcidiām a legatis iure detrahēre possit?*

§. XI.

Ad primam quod attinet, licet in antecedentibus affirmatiue deciderimus, non omnem tamen excludit in casu proposito dubitationem. Nam Cajum eo, quod in decessus Semproniani publica denunciatione atque in contradictione obsignationi judiciali opposita, se testamenti *executorē*, omissa causa heredis institutionis nuncupauerit, tacite repudiasse hereditatem omnino videri posset.

At primum, nemo facile fauori suo renunciare praesumitur; deinde fieri etiam poterat, Sempronium, cum Cajum certiorē fecisset de sibi mandata testamenti exsecutione, et ab eo promissionem adimplendae voluntatis recepisset, heredis institutionem reticuisse, ideoque Cajum, enarrantem Sempronii obitum, contradicentemque judiciali obsignationi, inspectis quippe nondum testamenti tabulis, in ignorantia vulgo invincibili versatum fuisse. Neque vero ille notitiae defectus nostrum iure suo priuat. Quamuis denique se simul Sempronii heredem ex aſſe esse, optime sciuerit, locum tamen tacita aliqua hereditatis abdicatio non habebit, annale enim illud deliberandi spatium omnibus omnino hereditibus indultum, Cajo quoque integrum esse debebat^{c)}.

§. XII.

c) Apud Boruffos vi noui legum codicis annus deliberandi in sex hebdomatarum spatium commutatus est. vid. Tom. I. Part. I. Tit. VIII. §. 383. sequ.



§. XII.

Alteram quaestionem examinantibus sequentia iuris esse nobis videntur. Executorem simul heredem ex asse scriptum esse posse diiudicauimus. Quodsi autem executor scripti simul heredis recte agat personam, eadem causae decisione, quando vniuersa hereditas, vel maxima eiusdem pars legatis abscebetur ita, vt nec quarta salua sit, illius detractum executori simul heredi haud denegandum esse, vel propterea censemus, quod testatoris directa institutione hereditatisque ex parte heredis aditione executori heredi scripto verum hereditarium ius adquiratur. Loquuntur leges institutis heredibus quam maxime fauorabiles de omnibus heredibus, tam suis et necessariis, quam extraneis et voluntariis, neque institutum verbis directis heredem etiam executorum pro herede fideicommissario reputandi causa adest idonea. Interesse praeterea ciuitatibus, ne vltimarum voluntatum sanctiones iniuria violatae, destitucionem ex persona heredis efficiant, vniuersale argumentum erit. Iniquum igitur et nimis severum, quin iniustum foret, heredem scriptum, ob collatum in se executoris munus, iurium hereditariorum scribere exsulem, atque nimis praecipiti illo suffragio heredem talem ad repudiandam hereditatem, ad recusandum mutuus eundem executorum quasi inuitare,

§. XIII.

A genere ad speciem nostram reuertimur, quae quidem, verbis testamenti non antea sub censuram vocatis, diiudicari vix ac ne vix quidem poterit.

D

Lege

~~~~~

Lege Falcidia testamentaria <sup>d)</sup> ne liceret ultra dodrantem hereditatem legatis exhaustire, et si plus legatum esset, quartam partem heredem detrahere vel retinere posse cautum legimus.

Quia vero nulla fere regula in iure quoque comperitur sine exceptione, etiam quarta illa vel ex persona testatoris, vel ex persona heredis scripti, vel ex legatorum etiam qualitate euanescit.

Vnicam ex testatore emergentem, quam hic quae omittatur, clariorem arbitramur. „Quarta, inquit Papinianus <sup>e)</sup>, quae per legem Falcidiām retinetur, aestimatione quam testator fecit, non magis minui potest, quam auferri <sup>f)</sup>“ hoc est: quartae Falcidiae quantitas s. pretium internum, neglecta testatoris rerum fortassis hereditiarum aestimatione, integrum heredi remanere debet. Videmus hisce verbis omnem testatoribus circa hanc legitimam hereditatis partem ingeniosam callidamque interpretationem ita esse interdictam, ut nullo pacto postea legi Falcidiae fraudem facere valuerint. Attamen alia plane de hac re Iustiniano visa sunt haec <sup>g)</sup>: „Si expressim, inquit, designauerit (testator in testamento) non velle heredem retinere Falcidiām, necessarium

d) a Publio Falcidio tribuno plebis a. V. C. 704. lata, vid. Dion. Caff. Lib. XLVIII. et Leg. I. prīne. ff. ad legem Falcidiām, quam celeberrime exposuerunt Franc. Balduinus in comment. de legibus, et Iac. Voorda singulari commentario, quod ante nos iam monuit Iob. Aug. Bachius in hist. iuriisprud. Rom. pag. 190. edit. IVtae.

e) Leg. 15. ff. in fine ad legem Falcidiām.

f) alii codices legunt: augeri, sed perperam vt videretur.

g) Nouell. I. Cap. II. §. 2. Graeca verba haec sunt: „Εἰ μεντοὶ ἥγιας ἐπισκη-

ψεις μη βελεθαι τὸν κλυρονομον παρα κατασκη φαλκιδίον, αναγκη την τε διαθεμενη γωμην ιρατειν, και η βιλομενου αυτου ὑπηρησαδαι τῷ διαθεμενῳ, ιως και την δικαια τε και ευσεβη καταλιποτι, το κερδος οι εν τῷ λαβεν, αλλ' εν τῳ μονοι ευσεβως εχεν, και μη δοκειν ακερδη τον τοικτον ειπαι κλιδον. Η ει μη βελεθιτο, αυτου μεν ανακωρησαι της τοιαυτης εκπατεως, χωραν δε γενεθαι, καθαπερ εμπροθεν ειποντες εφθημεν, υπο κατασκοτοις τῃ και συγκληρουνομοις, και ληγατηροις, και φιδεικομιστηροις, και οικεταις, και τοις εξαδιαδεης, και τοις αλλοις, κατα την εμπροθεν οφ' ήμων εξημημενη επι τοις τοικτοις άδον.“

*cessarium est, valere testatoris sententiam, forsitan etiam quaedam iuste et pie relinquenti, et aut volentem eum parere testatori, lucrum non in percipiendo, sed solummodo pie agendo habentem, et non videri sine lucro esse hereditatem, aut si parere noluerit, eum quidem recedere ab huiusmodi institutione, locum vero fieri, sicut dudum praediximus, substitutis et coheredibus, et fideicommissariis, et legatariis et seruis<sup>b)</sup>, et iis, qui ab intestato sunt, et aliis, secundum prius a nobis inuentam in talibus viam.<sup>c)</sup> Quis vero esset tanta in pugnandi cupiditate incensus, qui legis huius nouioris auctoritatem in dubium vocare cogitaret, spredo hac de re disserentium vnanimi consensu<sup>i)</sup>? Nulla persuasione opus est, absint omnia rhetorices artificia! Usus fori, rerum iudicatarum ingentes vires<sup>k)</sup>, expressae leges Saxonicae nobis arrident<sup>l)</sup>.*

Sed ex quo rei vtique paratae proprius accedamus, quae etiam huius loci erit nec superiori infirmior nobis ex persona heredis sese offert causa, cur Falcidiae deductio exsulet, legi-

## D 2

tima.

<sup>b)</sup> Seruos nimirum apud Romanos heredes pro re nata necessarios fuisse, in ysum tironum addimus.

<sup>i)</sup> conf. Pandectarum Commentatores Tit. ad legem Falcidiām, inquisque *Baldūinū* et *Voordam* in Commentariis laudatis.

<sup>k)</sup> conf. inter alios Bergeri oeconom. iur. ex edit. b. *Winckleri* pag. 307. Idem de quarta Trebellianica iuris esse *Wernberus* auctor est Select. Obs. Forens. Tom. I.I. Part. II. Obs. CCXCVIII. no. II.

<sup>l)</sup> Decif. Elect. XLIII. de 20. 1661. qua quidem lege incerta dicasteriorum Saxoniorum sententia de expressa atque tacita quartie Falcidiae deductione his verbis: Nachdem aber von andern (Rechtslehrern) mit gutem

Bestande angezogen wird, daß die Rechte deutlich verordnet, es sollte dem Erben die Falcidia nicht abgeschnitten werden, sie wäre denn von dem Testatōre mit ausdrücklichen Worten, als: „ich will, daß mein Erbe die Falcidiām nicht abklüze, oder: die Falcidia soll meinem Erben nicht zustehen, oder: ich will, daß mein Erbe, (dem er etwas gewisses vermachet,) ein mehreres, als was ich ihm beschieden, nicht haben soll,“ verboten, solches auch am sichersten, weil sonst allerhand Streit und Missverständniß diesfalls zu befahren; Als lassen wir uns diese Meinung, auf welche auch allbereits in Unserm Appellatioñ-Gerichte gesprochen, noch mahls gefallen, und wollen, daß der selben allerdings nachgegangen werden soll;“ penitus lopita est.



tima. Heres, se integra legata soluturum testatori fide data beneficio quartae renunciare potest<sup>m)</sup>). Nam sicuti de omnibus rebus licitis paciscuntur qui se obligare non prohibentur, ita etiam testatorem inter atque heredem huius tenoris stipulationem interdum celebrari, exemplorum illustratione neutinam indiget.

#### §. XIII.

Verba testamenti inspicere residuum est, non, vt ita si nem opellam nostram coronare existimemus, neque enim tanta philautia flagramus, sed vt effata non destitui ad applicatione docemus. Testator hac oratione in vltima lege vsus est:

— „Ich sehe demnach zuförderst Herrn Cajum, meinen lieben Haushwirth und wahren Menschenfreund, titulo institutionis honorabilis dargestalt zum Erben meines sämtlichen Nachlasses ein, daß derselbe nach meinem dereinst zu erfolgenden Tode damit als mit seinem wohlerslangten Eigenthume schalten und walten möge, ich bestelle ihn aber auch zugleich hiermit zum Executor dieses meines Testaments, und bin versichert, daß er sein mir hierüber gegebenes Versprechen getreulich erfüllen, und dafür besorgt seyn werde, daß einem jeden das Seinige, was ich ihm nachstichend zugedacht habe, ohne Hindernisse ausgezahlt werden möge.“

Cajum igitur heredem ex esse institutum, et exclusiue quidem institutum, (relinquebat enim testator sororem germanam, cui legatum nouem millium solidorum aureorum adsignauerat,) exsequendae vltimae voluntatis curatorem simul electum esse sponte patet. Sed verba tamen vltiora: „und bin versichert, daß er sein mir hierüber gegebenes Versprechen getreulich

m) Arg. Leg. 46. et 71. ff. et Leg. vlt. C. ad legem Falcidiam, conf. omnino Commentatores ad hunc titu-

lum, atque prae ceteris Baldwinum et Voordam loc. laud.

lich erfüllen, und dafür besorgt seyn werde, daß einem jeden das Seinige ohne Hindernisse ausgezahlt werden möge;“ nos vehementer vexant. Nonne enim haec, integra paragrapho X. Caii nempe heredis et executorialis stipulatione Sempronio facta, abunde explicantur? Nonne paragrapho XIII. ad citatae leges sese quasi obtrudunt rei nostrae applicandae? Nonne Caius ultimae atque sanctae voluntatis contemtor et datae Sempronio fidei violator dicendus, si cum Iustiniano lucrum *non in-pie agendo sed in percipiendo* habere vellet? Nonne tandem ad destituendam hereditatem compellendus, quando cum residua, exsolutis integre legatis, hereditatis portione contentum se detrectaret? Omnino nobis ita videtur. Promisit testatori, se fideliter curaturum, ut *suum cuique sine omni in-pedimento* post Sempronii obitum exsoluantur, qua promissione fretum testatorem, ut semet ipsum ob egregios mores eximiātque humanitatem laude quem extolleret, heredem institueret, commouit. Sed quo quaesumus modo Caius datam fidem magis Punicam facere posset eo, quod ipse ultimae voluntatis implementum ex suo commodo impedit? At, obstat fortassis Decisio Saxonica XLIII. supra laudata? Minime vero! Nam quae ibi de nudo herede dicta ac sancta leguntur, ad heredem nostrum simul executorem nequaquam pertinent, neque illa decisione heres beneficio Falcidiae renunciare prohibetur, quae res merae facultatis ab ipso dependet. Accedit, quod executores mandatariorum instar, quum male gerere negotium arguantur, suspecti remoueantur. Iam vero executor Caius tam pacto quam testamento constitutus, quando ipse interuerteret piam testatoris legem, pro malo executore et indigno herede reputatus, a munere remouendus et beneficio simul hereditario priuandus esset.

Condi-





Conditioni honestae, adeoque promissis defuncto factis standum esse, bonus vir nemo inficiabitur. Testator autem Sempronius, nisi imperatiua, certe precativa oratione, qua Caium stipulationis memorem credidit, hunc integra legata pauperibus consanguineis scripta exsoluturum, reliqua hereditatis parte contentum fore optauit.

Quae quum sic se habeant, Caium promissis stare debere residuamque tantummodo, legatis integre praestitis, hereditatis vnciam sibi habere posse, iudicantes, alio tempore, si labores nostri aequo lectorum arbitrio fortassis non plane displicerint, Deo fauente, alia iuris dubia, quibus otium nostrum dedicare solemus, proposita examinataque pro viribus tollere, sancte spondemus.

---

Ki 2816


**ULB Halle**  
005 366 445

3





B.I.G.



21

NVM

# EXSECVTOR TESTAMENTI IN EODEM HERES EX ASSE

SCRIPTVS ESSE POSSIT?

DISQVISITIO IVRIS CIVILIS

Q V A

DILECTISSIMO FRATRI

## HIERONYMO THEOPHILO KINDIO

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

GRATVLATVR.

## CAROLVS CHRISTOPHORVS

IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR CVRIAЕ PROVINCIALIS

SUPREMAE ET CONSISTORII LIPSIENSIS

ADVOCATVS

LIPSIAE A. D. XVI. CALENDAS MARTIAS

CICIOCCCLXXXIII.

Hi 2816

---

EX OFFICINA KLABARTHIA.

Herr D. Müller